



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 1. Deciditur Difficultas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

Oppositum sentiunt post Scotistas etiam aliqui
analogis cum variis distinctionibus. Perez de
Trinitate d. 3. c. 5. Esparza q. 40. Bona pace in
his Aduersionibus de Trinitate Senis editis.

Punctum Difficul-

tatis 1.

Deciditur Difficultas.

DICENDUM est. *Formaliter personam, & Relationem, importare perfectionem.*

PROBAT 1. Suar. Tum quia datur in Deo realitas vera & realis, quæ necessarii debet esse verum reale; tale autem convertitur cum bono. Tum quia incredibile videtur mysterium Trinitatis, ut tale, nullam perfectionem adferat. Cur enim daretur illa multiplicatio, si nulla esset in illa perfectio? Tum quia relationes sunt subsistentes, substantia autem perfectionem importat. Tum quia divina essentia, ex sua simplicitate, communicabilis est realiter multis suppositis. Ergo illa communicabilitas est æqua perfectio; Ergo & ipsa supposita, quibus communicatur, dicunt perfectionem entitativam. Nam communicari suppositis, nullam adferentibus perfectionem, non videtur ad perfectionem pertinere. Tum quia improbable est, Patrem sub formalitate præcisæ Patris, non esse amabilem, & quod persona Verbi non sit maximum bonum humanitatis.

PROBAT 2. Valquez. Tum quia alia attributa sunt perfectiones; Ergo & relationes divinæ sunt perfectiones: Sicut enim postulat Deus esse sapiens: Ita postulat esse fecundus: Et sic melius est Deo esse sapientem, quam non sapientem: ita melius est Deo esse Patrem, Filium, & Spiritum S. quam non esse: Illud autem quod melius est alicui rei, quam negatio illius, non potest non esse perfectio rei; immo si comparantur tres personæ ad Deitatem, sunt tantum illius perfectio, ut si illa careret, desineret esse: Et sicut si voluit creandi mundi esset gaudium, ut nisi illam Deus haberet, desineret esse voluntas, nulla deberet dici perfectio; ita & in presenti. Tum quia perfectio Enti quomodo id non est perfectio, sine quo, desineret esse perfectum? Tum quia in principiis Scoti ideo attributum misericordie differt ab attributo iustitiæ, quamvis utrumque illorum sit infinitum; quia infinitas quæ non trahit illud extra suum genus, sed in suo genere reddit infinitum; ita ut iustitia, non contineat misericordiam; Ergo etiam potest esse paternitas infinita perfectio in genere paternitatis, absque hoc, quod in se contineat infinitam perfectionem filiationis.

PROBAT 3. Relationes, itemque personæ distinguuntur virtualiter à natura; quo posito, requiritur; illud aliud membrum distinctionis, & illud superadditum virtualiter naturæ, vel est nihil, vel aliquid? Si nihil; Ergo & sunt

illic extrema virtualiter distincta, & non sunt: sunt ut supponitur; non sunt autem, quia illud aliud, nihil est; & si illud aliud nihil est, quomodo fundare potest tam prædicata positiva producentis, spirantis, &c. quàm prædicata negativa, quæ intelliguntur fundari in positivis? Qualis est innascentia, improducibilitas, & similia. Si autem illud aliud extremum est aliquid, ergo est perfectum: Nec in illa ratione deerit illi aliquid; si enim deesset illi aliquid in illa ratione, non esset illud, quod est; & saltem in illo quod habet, & in illo quod illi adest, non deest illi in illo quidquam; Ergo in illo est perfectum: Ita enim definitur perfectum.

CONFIRMATUR 1. Personæ & Relationes vel differunt inter se, vel non differunt? Si non differunt, ergo aufers mysterium Trinitatis: Si differunt, vel differunt nihilo, vel aliquo? Si differunt nihilo; Ergo adhuc aufers mysterium Trinitatis, Deusque erit essentia cum tribus nihil: Si autem differunt aliquo, ergo differunt perfecto; quia mysterio Trinitatis nihil deest ad mysterium Trinitatis; Perfectum autem est, cui nihil deest eorum, quæ illi debentur.

CONFIRMATUR 2. Quia id exigunt locutiones PP. Damascenus de decretis primæ Instit. c. 1. *Unusquisque eorum perfecta est hypostasis, & perfecta persona*: Et 1. de Fide cap. 11. *Unum quippe Deum agnoscimus; in solis autem proprietatibus, nimirum paternitatis, filiationis, & processione, atque quantum ad causam (causa hic accipitur pro principio) & ea que à causa proficiuntur, ac personarum perfectionem, hoc est existendi modum, discernimen animadvertimus.*

Cyrrillus Lib. 1. Thesauri cap. 6. *Perfectus est, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater est.* Favet etiam sexta Synodus generalis, & alia apud Suar. cit. n. 9.

RESPONDET 1. Esparza. Totam perfectionem propriam personarum indistinctam virtualiter ab iisdem præintelligi formaliter in essentia divina; quia Divinitas per se ipsam formaliter, est necessitas quasi activa, ut dentur tres personalitates expertes omnis imperfectionis, & consequenter amabiles necessario ac infinitè, licet non sint amabiles, & diligibiles ex triplici motivo: ita ut ratione ejusdem Divinitatis sicut omnes tres personæ sunt Deus, ita & sint amabiles.

CONTRA est. Tum quia concedimus dari dictam exigentiam in natura, sed unde de hoc, quod ipsæ personæ ita exigite, non debeant dicere perfectionem? Tum quia illæ personalitates sunt expertes omnino imperfectionis; Ergo nihil illis deest debitum, adeoque unaquæque est perfecta.

RESPONDETUR 2. Non est quæstio inter Theologos de realitate, veritate, & bonitate transcendentali personarum communi cum creaturis; sed de bonitate, & perfectione per se æsti-

R. P.
H. MŁOD
NOWSKI
Bm. de Z.
VI

se æstimabili, non solum terminativa, sed etiam motiva amoris.

CONTRA. Competit personis perfectio terminativa amoris, ergo & motiva. Tum quia, aliæ perfectiones sunt motivæ amoris, ergo idem dicendum de Relativis. Tum quia in personis dicit Ecclesia proprietatem adorandam esse æqualiter, ac in essentia unitatem, ad quod alludit illud Athanasii docentis unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate venerandam esse.

Per hoc tamen non asserimus, quod personalitas prout distincta à natura, importansque perfectionem, dicat vel infinitam perfectionem determinatè, vel finitam: Non finitam, quia infinito identificari non posset; opposita enim oppositis non identificantur; non infinitam: Quia si misericordia ex genere suo non est quid infinitum, aliàs non esset commune quid creaturæ; cur erit de se infinita perfectio personalitatis, & relationis?

Concedimus etiam, personalitates esse quodam modo specie distinctas; quodam modo, inquam, quia nulla datur in Deo differentia vel genus rigorosum. In statu tamen reali, omnes illæ personalitates sunt infinitæ, & omnes æqualis perfectionis; si enim in creatis non implicat duas species esse æqualis perfectionis, cur id divinis non tribuetur?

Adverti etiam communiter solet, quod non hoc sit imperfectio non habere aliquam perfectionem; & ita non est ex eo imperfectus homo, quia non habet pernecitatem aquilæ; sed imperfectio, ex non habere aliquam perfectionem, tunc oritur, quando perfectio posset & deberet haberi: Jam autem una persona, nec potest, nec debet, habere aliam. Quamvis autem in creatis est perfectius dare, quam accipere ratione dependentiæ, causalitatis, indigentiae & similia; secus in Divinis, ubi non datur talis imperfectio; præcipue cum tanta necessitate una persona det esse alteri, ut non sit magis propter se, quam propter terminum, quem producit, ut inquit Martinon.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT 1. Esparza. In Divinis omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio, nulla autem obviat relationis oppositio, penes ullam perfectionem.

RESPONDETUR retorq. Ponenda est multiplicatio, ubi obviat relationis oppositio, inter perfectiones autem relativæ obviat relationis oppositio.

Directè dici potest, quod penes perfectionem absolutam nulla detur relationis oppositio, secus penes perfectiones relativæ, quas non dari tu aliunde non probas.

Deinde diceret aliquis, perfectiones illas non multiplicari, sicut nec multiplicatur Deitas; unamquamque tamen in se esse perfectam, sicut unaquæque est Deus.

INSTAT 1. Communis est omnibus personis Divinitas, ergo & perfectio.

RESPONDETUR, veram esse consequentiam de perfectione absoluta, non de relativa, quam non dari, tu non probas. Et sicut non est absurdum dicere dari tres personas; ita diceret aliquis, non esse absurdum dari tres perfectiones. Sed de hoc infra.

INSTAT 2. Distinguuntur virtualiter divinae personalitates à Deitate; Ergo etiam debent distingui ab ipsa perfectione.

RESPONDETUR neg. Conf. quia pro antecedenti sunt rationes, de quibus in materia de præcisionibus, quæ non militant pro Consequenti; immò Consequens probatur immediate allatis rationibus.

OBJICIT 2. Augustinus l. 1. de doctr. Christ. c. 5. cum concessisset in Deo tres res, & unam, subdit, quod eadem tribus aternitas, ad quod etiam alludit S. Thom. cum unam dicit, omnibus esse dignitatem, bonitatem &c.

RESPONDETUR. An ipsæ perfectiones multiplicentur? De hoc infra. Quantum ad præsens, dici posset utrumque Doctorem agere de unitate in iis, quæ absoluta sunt.

INSTAT. Una est spiratio in Patre & Filio, distincta virtualiter intrinsecè ab utroque, & utrique communis, eò quod quoad spirandum nullam habeant oppositionem inter se; Ergo idem dicendum de perfectione.

RESPONDETUR, quod possit sustineri, dari oppositionem in perfectione relativa.

OBJICIT 3. Aseitas, omnipotentia, &c. non multiplicantur in personis, ergo neq; perfectio.

RESPONDETUR. Transeat totum, quia hic non queritur de multiplicatione, sed tantum: An unaquæque dicat perfectionem? Disparitas etiam est, quod illa prædicata sint absoluta, perfectiones autem relativæ si dentur, non sint absolutæ.

INSTAT. Non potest nominari ulla perfectio relativa, quæ non sit præintellecta in Divinitate, quæ melioret objectum.

RESPONDETUR. Eas perfectiones esse ipsasmet relationes, quæ non præintelliguntur in ipsa Deitate præcisè, cum illi condistinguantur virtualiter, adferuntque meliorationem non absolutam, sed personalem.

OBJICIT 4. Bona pace noster Professor Theologiæ apprimè ingeniosus. Omne quod ratione sui est ens, vel est absolutum ut substantia, vel inhærens absoluto, ut accidens? Quare, quod est merus respectus ad alterum, ratione sui neque erit substantia, neque accidens; Ergo neq; ratione sui erit ens, adeoque nullam dicit perfectionem ratione sui.

RESPON-